

codicum inspiciendorum copia est, ad eiusmodi loca diligentius attendant; et attendere possint.

Quod ad observationes exegeticas attinet, haud spero vitio mihi datum iri, quod ex aliorum annotatis ea excerpfi, quae ad institutum meum pertinere mihi viderentur. Partim vero ipsa doctorum virorum verba reddidi, idque signis vsitatis indicaui; partim vero, quod a pluribus varie erat disputatum, quam breuissime potui, ipse enarraui; si quid in media annotatione omittendum esset, non quod inutile et vitiosum putarem, sed quia institutum meum et breuitas ita postulabat, lineola ducta (-) id indicaui. Sed correxi in his notis etiam nonnulla, et ita quidem, vt partim vncinis rectora includerem, vbi mea non auderem substituere; velut c. 13, 4. c. 18, 2. partim vero etiam, vbi apertum siue descriptoris siue operarum erratum deprehendissem, id sine ambagibus corrigerem. Velut c. 15, 5. in SOLANI nota legitur Antiochia *Macedoniae*, quod in Antiochiam *Mygdoniae* corrigere non dubitavi, quum id iam postulet SPANHEMII locus a SOLANO allatus. — c. 28. n. 10. Solani verba ita in Reitziana leguntur: *Respexisse credas versus a Plat. Συμπ. I, 4. et Athen. etc.* Sed in Platonis Symposio nihil de his; itaque Plutarchi locum de fraterno amore. Opp. T. II, p. 485. A, vbi isti versus habentur, substitui. In ea, quam sub v. *πλάγιος* attuli, GESNERI nota legitur: *sed parciores a*